

**Folium 1 a .**  
**Seminaria Missionalia Praeparatoria.**  
**sub tutela et curatela**  
**Religiosarum Oecumenicarum**  
**De Guadalupe.**

# 075

**Rev.Isidorus Puente Ochoa jr.**

Philosophiae Licentiatius,  
Sacrae Theologiae Lector,  
Sacrarum Scripturarum Prolyta,  
Theologiae Biblicae Doctor

# Theologia Dogmatica Antiqua.

## Resumen

**non ex manualibus,**  
**sed ex tractatibus omnium perfectissimis**  
**a magna parte Episcoporum conflatis**  
**et a J.P. Migne**  
**viginti octo voluminibus editis.**

# Prolegomena

in cursum completum theologiae.

## Pars prima: Praeambula.

Per divinorum contemplationem homo magis ad Dei similitudinem accedit et per veritatis notitiam ad veram beatitudinem pervenitur. Nam nihil suavius veritate quae est jucunda. Homo naturaliter concupiscit veritatem, qua adepta, felicitas invenitur, quia vita beata est gaudium de veritate. Theologia igitur allicit ad amorem Dei.

**CAP. 1. NOMEN, NATURA, OBJECTUM, FINIS ET DIVISIO.**

**1. Nomen, natura, methodus.**

Est scientia rerum divinarum, disciplina discursiva de Deo ac de rebus ad Deum pertinentibus ex principiis revelatis. Dicitur complexus veritatum religionis deductus ex certis principiis. Est cognitio erudita Religionis. Est scientia religionis.

Est SCIENTIA quia constat principiis, seu primariis veritatibus certis et inconcussis et consecratiis deductis per ratiocinium ex illis principiis.

RELIGIONIS: Objectum speciale et propium est *Deus et res ad Deum spectantes*, notio *legis* et *obligationis moralis*.

Habet duas partes: principia et consecitaria. *Principia* sunt veritates primariae, generales, certae, clare expositae, quae evolvuntur et manifestantur per demonstrationem rationalem et ex quibus deducuntur *consecitaria*. Mens theologica facit duas operationes: *exponit* principia et *demonstrat* principia.

METHODUS EXPOSITIVUS est producere veritates primarias seu *dogmata* ex suis fontibus et eas fideliter et nitide exponere. *Expositio* est praeparatio principiorum per methodum ideoneam ut possit dari deductio seu *demonstratio: expositio* inducit mentem nostram ad cognitionem et contemplationem principiorum et potest vocari vera et propria *sapientia*.

METHODUS DEMONSTRATIVUS dirigit operationes mentales nostras per regulas ratiocinii

**075 Theologia Dogmatica Antiqua non ex manualibus. 1. Prolegomena.**

et dialecticae ut ex principiis evolvantur et deducantur consecitaria. Scientia theologica consistit proprie et formaliter in deductione conclusionum ex principiis, hoc est in *demonstratione*.

**2. Objectum et finis.**

*Objectum in genere* seu *objectum adaequatum* theologiae est Scientia Religionis.

*Objectum materiale* sunt res ipsae quas Religio complectitur: Deum et res quae ad Deum referuntur.

*Objectum formale* seu *ratio sub qua* theologia attingit suum objectum materiale est *modus* quo tractat illud objectum: *Divinitas* vel *deductibilitas* rerum ex principiis fidei, vel *exponibilitas* principiorum.

Scopus seu *finis immediatus* ad quem tendit theologia est imbuiere homines notitia Religionis prout indigent, vel sunt capaces capiendi Religionem.

Finis *medius* seu *mediatus* est stabilire et dirigere homines (jam illuminatos notitia Religionis) in via salutis.

Finis *ultimus* est promovere gloriam Dei.

**3. Divisio Theologiae.**

Variae theologiae divisiones non exhibent scientias specie diversas, sed plerumque ejusdem unius scientiae partes.

(a) Prima Divisio Theologiae est secundum *objectum materiale* et dividitur in:

- THEOLOGIAM *DOGOMATICAM* SEU *SPECULATIVAM* (amplectitur veritates credendas in quieta speculatione intellectus) et
- THEOLOGIAM *MORALEM* SEU *PRACTICAM* (proponit praecepta et regulas morum).

(b) Secunda divisio Theologiae est secundum *objectum formale* seu secundum *methodum* et dividitur in:

- THEOLOGIAM POSITIVAM seu EXPOSITIVAM seu DOGMATICAM seu DOCTRINALEM (versatur circa *veritates primarias, doctrinales*, quas eruit et ordinat *per methodum expositivam vel oratoriam* ex sacra Scriptura, sanctis Patribus, decretis Conciliorum, Magisterio Pontificio et aliis fontibus Traditionis catholicae; insistit auctoritate et colligit juxta regulam fidei doctrinam ex variis testimoniis traditionis) et

- THEOLOGIAM *DISCURSIVAM* seu *DEMONSTRATIVAM* seu *RATIONALEM* seu *PHILOSOPHICAM* seu *SCHOLASTICAM* (per argumentationem evolvit doctrinam et deducit consecitaria tractatione severiori et accuratori adhibendo regulas et artes dialecticae: per principia aristotelica dat definitiones, divisiones, argumenta; innititur ratione et construit sua argumenta ex ratiocinio), quam appellamus *Theologiam Scholasticam*, quia intendit illustrare omnes *quaestiones*, probare *propositiones* et dirimere *controversias* per strictas definitiones, divisiones methodicas et syllogisticam argumentationem.

(c) Tertia divisio Theologiae est secundum *objectum adaequatum* et dividitur in:

- THEOLOGIAM *NATURALEM* (quia ejus objectum innotescit lumine naturali: tractat **de veritatibus praeambulis** ad fidem supernaturalem, constituentibus *religionem primitivam*, et **de principiis praequisitis ad admittendam revelationem divinam** et *Ecclesiam* docentem praeogativa supernaturali: adhibet *methodum demonstrativam* ut illustret dogmata primitiva per evidentialm intrinsecam quae pertinet ad rationem et philosophiam, licet necesse sit stare fundamento auctoritatis, et etiam veritates fidei supernaturalis confirmat et evolvit ratione, prout eas capere valebit) et

THEOLOGIAM *SUPERNATURALEM* (prout ejus objectum innotescit lumine supernaturali: tractat *[ex objecto materiali]* dogmata fidei, seu veritates fultas auctoritate supernaturali, quibus ex documento Ecclesiae doctrina catholica

informatur et *[ex objecto formal]* exponit ordinate veritates dogmaticas).

**CAP.2. CERTITUDO THEOLOGIAE. CONCLUSIONES THEOLOGICAE.**

**1. Certitudo Theologiae.**

Certitudo est *firma mentis adhaesio veritati cognitae sine periculo errandi*. Certitudo est fundamentum necessarium cujuslibet disciplinae.

Certitudo **objectiva** est quando consideratur in ipsis rebus seu ejus objecto: est immutabilitas ipsius objecti, realitas quae subsistit in rerum essentiis independentes a nostra cognitione et nullam materiam disserendi nobis subministrat.

Certitudo **subjectiva** est quando consideratur in homine seu ejus subjecto: huic competit proprie definitio: *firma adhaesio mentis ad veritatem cognitam sine periculo errandi*.

Certitudo **motivi** est quando consideratur in rationibus ad assensum moventibus: de ista pendet tota certitudo subjectiva. Tota quaestio de certitudine reducitur ad certitudinem motivi.

Certitudo motivi est triplex:

(a) *metaphysica*: fundata in ipsis essentiis rerum, manifesta in claritate seu evidentia essentialium ipsarum;

(b) *physica*: repetenda ex consuetis legibus naturae physicae;

(c) *moralis*: quae fundatur in constitutione morali hominum.

Tum certitudo physica quam moralis (quando adsunt requisitae conditiones) est aequae immutabilis et absoluta sicut certitudo metaphysica.

- Existentia certitudinis* est factum generale, rationi humanae essentiale, et est constitutum rationis humanae: est connexio et fundamentum societatis. Principium certitudinis est per se notum, omnibus commune et connexum essentialiter cum veritate.

Principium certitudinis non fuit excogitatum, sed datur a Deo in prima origine et fundatur in natura humana: sine illo ratio humana consistere non potest, nec quidquam operari.

Unde primae veritates ab omnibus semper et ubique invincibiliter admissae sunt, ita ut qui eas in dubium revocare vellet, statim ut dementia correptus haberetur.

Quod ab omnibus invincibileter admittitur falsum esse non potest, quin omnis tollatur certitudo et ratio humana destruat, quia nullum subesset medium erroris detegendi.

- Omnes homines ut singuli habent certitudinem immediate per facultates privatas ac individuas tum corporeas tum intellectuales, sive ex sensu intimo, sive ex evidentia ut testimonio sensuum vel hominum.

Unusquisque individuus habet infallibilitatem eo sensu quod veritati cognitae infallibiliter adhaeret, quemadmodum fidelis catholicus definitioni Ecclesiae semel datae infallibiliter adhaeret, quamvis de controversiis fidei infallibiliter ipse judicare non possit.

- Evidentia objectiva* est relative diversa: nam objecta corporea non eodem gradu nostris sensibus physicis accommodantur, ac proinde, caeteris paribus, non aequae sunt sensibilia. Item dicatur circa veritates intellectuales: non eodem gradu nostrae rationi, nostro intellectui accommodantur, ideoque non aequae sunt evidentes relate ad nos.

Etiam *evidentia subjectiva* est relative diversa: ratione subjecti seu nostri modificatur in gradibus suis, quia aliquando est magis evidens, aliquando minus evidens secundum subtilitatem ingenii, vel secundum attentionem praestitam, vel etiam secundum varia artificia adhibita ex dialectica.

- Ad assentiendum cuilibet veritati movemur vel ex evidentia intrinseca rei, vel ex evidentia extrinseca rei, vel ex testimonio externo

**075 Theologia Dogmatica Antiqua non ex manualibus. 1. Prolegomena.**

(auctoritate), vel ex utroque medio, secundum naturam rei cognoscendae:

(a) Aliquae veritates, ut intellectuales, sunt adaequatae captui humano et clarescunt propria evidentia.

(b) Aliae veritates, ut facta historica, ut etiam plerumque veritates supernaturales, fugiunt aciem rationis nostrae et tunc accipiuntur ex testimonio (id est, ex auctoritate).

(c) Aliae veritates, sive naturales, sive supernaturales, de utraque indole accipientes innotescunt tum ex evidentia, tum ex auctoritate: verbi gratia quum aliqua veritas naturalis, jam manifesta propria evidentia, insuper habet testimonium aliarum rationum; vel aliqua veritas supernaturalis attestata per revelationem praeterea rationi sese praebet obviam.

Nostra ratio confirmatur et laetatur quando datur evidentia ex una parte et auctoritas ex alia parte. Evidentia et testimonium sibi mutuo praestant auxilium: invenimus veritatem per reflexionem et postea illam demonstrare possumus. Cognita veritas parit rationem, et adhibita ratio confirmat veritatem. Perspicuitas elevatur argumentatione.

- Evidentia et auctoritas, utraque suo modo, concurrunt essentialiter ad informationem rationis et scientiae humanae. *Auctoritas* accommodatur pueritiae et imbecillitati rationis, ei subjectionem imponit et ita *generat fidem*.

Omnes nos invincibiliter propendemus nativo et necessario instinctu ad viam auctoritatis; necessarium est ut homines hominibus credant, aliter sicut animalia viveremus; nam fides est basis primaria artium: nisi credimus non intellegemus.

Evidentia est genus perfectius ac quasi divinum cognoscendi, quia tendit ad visionem quasi intuitivam et beatificam veritatis et multum arridet rationi. Debilitas rationis splendorem veri nonnisi temperatum ferre valet, aliunde vitiiis nostris saepius obnubilatum.

Auctoritas flagitat fidem et praeparat hominem rationi. Ratio perducit ad intellectum et cognitionem. Praecedere omnino debet fides; sequi deinde ratio et disputatio. Fides est fundamentum super quod scientia et cognitio, id est, theologia, construitur.

Intelligentia nostra debet esse plena illa doctrina quae nobis venit ab auctoritate.

- Certitudo constat duobus elementis: auctoritate (testimonio) et ratione (evidentia). Ista elementa rite debent componi inter se et in praxi: nelement alterius adhibeatur loco, neque plus alterutri quam par est tribuatur.

- Singuli homines, quum se de aliqua veritate certos esse affirmant, **auctoritatem**, si res sit de facto historico, vel rationis superet captum, in saae certitudinis gratiam invocant, etiam inviti; **evidentiam** autem suam appellare solent, gratiorem quidem rationi, quoties de veritatibus agitur quae aliquo ejus fulgore nitescunt, *etiamsi aliunde auctoritate innitantur*.

Homo confidit evidentiae pro claritate idearum atque pro mediis quae ex regulis communibus ad eam producendam adhibuerit. Et si illam conformem senserit evidentiae aliarum rationum, fidem ei adhibebit majorem. Et novis demonstrationibus augebit illam primitivam evidentiam.

Plurimum commendatur *consensus hominum* in aliqua veritate generali, communi, primitiva; nam est consensio philosophorum de veritatibus ordinis rationalis, et maxime ex traditione requirenda est et nihil detrahit de efficacia evidentiae. Repugnat quod aliquis homo habeat evidentiam contra sensum communem generis humani, aut sanioris partis hominum.

In veritatibus externis hoc solum certo verum est, quod a Deo procedit; hoc autem a Deo certo certum elucet naturae eademque relatio qua ipsa

*consensione* tenuerunt, quodve homines docent divina potestate fulgentes. Vis istius consensionis restringitur tantum ad communes et primarias veritates, quibus homo et societas subsistunt. De communibus conceptionibus nemo judicat, sed omnes per eas judicantur.

**Certitudo theologica fundatur auctoritate:** auctoritas est certum fundamentum doctrinae catholicae sine controversia et *regula credendorum* et iudex infallibilis sine appellatione.

Auctoritas pro theologia naturali in principiis generalibus et veritatibus communibus est *generalis consensio hominum* et etiam *particularis consensio hominum*, sed vestita conditionibus ex communi hominum aestimatione ac generalibus principiis determinatis.

Auctoritas pro theologia supernaturali est *Ecclesiae auctoritas* praedita divina infallibilitate atque praeclearis dotibus et privilegiis.

- Quando occurrit controversia de admittendis principiis intrinsece evidentibus, de recipiendis primitivis veritatibus *non licet invocare evidentiam privatam*, quantamcumque quis habeat, quia nulla ratio individua ut auctoritas infallibilis imponi potest aliis rationibus, nisi privilegio gaudeat supernaturali. Ideoque *necessarium est recurrere ad consensionem rationum*, saltem ut testimonium praestium evidentiae veritatum, id est ad auctoritatem hujus consensus.

In ambitu interno et privato fides et evidentia possunt haberi simul de eodem dogmate, et hoc probatur ex primo ipso symboli catholici articulo quo Deum existere *creditur*.

Pro duplici genere auctoritatis datur duplex certitudo (et proinde duplex fides):

(a) *naturalis* (humana), quia in solis naturae humanae conditionibus sistit, [sed tamen recordemur quod traditio universalis, et evidentia genuina veritatis, et consensio inde secuta, et ratio et natura ipsa humana, haec omnia certe a Deo sunt], et

(b) *supernaturalis* (divina), quia existit mediis supernaturalibus.

Certitudo illa, tum naturalis, tum supernaturalis, in se spectata, hoc est, quatenus dubio opponitur, AEQUALIS EST, imo et IDENTICA; proinde TAM CERTA DICENDA EST FIDES NATURALIS QUAM SUPERNATURALIS.

Tamen certitudo et fides et theologia SUPERNATURALIS longe SUPERAT NATURALEM propter istas rationes:

(i) ratione **objecti materialis**, nam *symbolum christianum* suis dogmatibus propriis et praeclearis evolutionibus est praestantius *symbolo primitivo*;

(ii) ratione **objecti formalis** seu *methodi*, i.e., *medii quo* suum materiale assequitur objectum,

- tum *interni*, nempe gratiae, cujus miras ac ineffabiles esse operationes fide experientiaque constat (*fides per charitatem operans; veritatem facientes in charitate*);

- tum *externi*, seu Ecclesiae, cujus auctoritas veracitate divina immediate et directe innixa, per ministerium speciale divinitus institutum infallibilil documento tradit doctrinam.

(iii) ratione **finis** quem supernaturalem agnoscit et sola attingere valet fides divina.

Datur PROGRESSIO AB ORDINE NATURALI AD SUPERNATURALEM, non in certitudine exclusiva dubii, sed *in dotibus divinis certitudinis*: ratio humana primum informatur certitudine ac fide naturali, deinde erigitur ad perfectiorem seu supernaturalem, mediante auctoritate Ecclesiae etiam circa veritates istas primitivas (v.g. existentiam Dei, spiritualitataem animae, discrimen boni et mali, etc.) quas ea ratio christiana, validior proinde, sapiensque et matura effecta, iterum credendas accipit, sed perfectiori modo et eminentiori propositas.

Numquam datur OPPOSITIO inter fidem et certitudinem naturalem et supernaturalem, sed eadem elucet naturae eademque relatio qua ipsa

theologia naturalis cum supernaturali connectitur, in unam ambae coalescentes scientiam, cujus elementa partesve existunt. Illae ipsae sunt relationes inter gratiam et naturam: Gratia non tollit, sed perficit naturam. Fides et certitudo supernaturalis extollunt et perficiunt fidem et certitudinem naturalem.

Naturalis theologia est angustior et imperfectior, quippe lumen naturae exiguum est, et magna ex parte humanae naturae tenebris obsitum. Theologia supernaturalis est amplior et perfectior, quia ejus lumen est revelatum et longius latiusque patet, et purius est, atque sincerius.

Certitudo doctrinae theologiae spectat ad veritates doctrinales (innixas auctoritate seu regula credendorum) et vindicat ut propriam theologiam POSITIVAM et methodum EXPOSITIONIS. Inde theologia habet sua principia.

Sed ut formaliter et vere scientia constituatur, adhibendae sunt variae explicationes et deductiones, EVIDENTIA potissimum conspicuae. Hujusmodi operationes ratiocinii artificio fieri solitae DISCURSIVAM seu SCHOLASTICAM theologiam, juxta methodi demonstrationis regulas ingrediuntur.

Et hoc est essentiale humanae naturae, qua invincibiliter propendemus ad intelligendum ratione quod jam fide tenemus, ut quid sit verum non credendo solum, sed etiam intelligendo apprehendere impatienter desideremus.

Quaerentibus dandae sunt rationes de fide nostra, ut eorum quae credunt, intellectu et contemplatione delectentur; et ut sint, quantum possunt, parati semper ad satisfactionem omni poscenti se rationem reddere de ea, quae in nobis est, spe.

Quam quaestionem solent et infideles nobis, simplicitatem christianam quasi fatuam deridentes, objicere, et fideles multi in corde versare, qua scilicet ratione vel necessitate Deus homo factus sit, et morte sua sicut nos credimus et confitemur, mundo vitam reddiderit.

Scientia religionis formaliter consistit in conclusionibus theologicis, quae ex deductione et ratiocinio sponte fluunt, ideoque scientia religionis pertinet ad theologiam discursivam seu scholasticam.

Scholastica ex veritatibus revelatis elicit legitimas conclusiones sanae doctrinae, quae conducunt ad illustranda, explicanda et firmanda dogmata fidei et principia morum; et non raro ad eundem finem adsciscit subsidia rationis et auctoritatis humanae et scientiarum naturalium.

**2. Conclusiones theologiae.**

Conclusiones theologiae sunt deductiones ex principiis fidei, sive revelatis. Pars praecipua theologiae naturalis est stabilire fundamenta genuina et certa revelationis.

Ideoque conclusiones theologiae constituunt majorem scientiae religionis partem discursivam, quae in theologia supernaturali demonstrationem complectitur; pars minor sunt conclusiones natae ex principiis naturalibus et veritatibus primariis.

Deductio conclusionum attinet ad methodum seu artificium demonstrationis.

Conclusio theologica est duplex:

(a) deducta ex duabus praemissis revelatis (quae non semper consideratur vera conclusio);

(b) deducta ex una praemissa revelata et ex una praemissa naturali.

Ut dignoscatur vera conclusio, attendendum est ut conclusio in premissis virtualiter contineatur: (i) vel RATIONE CONNEXIONIS NATURALIS: ut proprietas in essentia, effectus in causa, v.g.: *Duplicis naturae duplex est voluntas; Atqui in Christo est duplex natura; Ergo et duplex voluntas*.

(heic datur vera deductio, vera conclusio, illativa, quae procedit a notioribus ad minus nota);

(ii) vel RATIONE SIGNIFICATIONIS: ut pars in toto, singulare in universalī, implicitum in explicito, terminis aequivalentibus, v.g.:

*Christus est unus substantia cum Patre; Ergo est Patri consubstantialis.*

(heic non datur stricta conclusio, sed mera explicatio et expositio terminorum praemissarum sub forma syllogistica: est conclusio impropria seu late dicta est expositiva potius quam illativa, erit immediate revelata, sicut et ipsae praemissae, et eodem jure ad fidem pertinet ).

Conclusio proprie stricteque dicta non habenda est ut revelata et ad fidem pertinens, nisi aliunde fuerit immediate revelata atque ut talis iudicio Ecclesiae definita. Ratio obvia est quia ea conclusio quantumvis legitima semper remanet opus rationis humanae; fides supernaturalis ac divina non potest stare immediate alio fundamento quam revelatione.

Homo quantumvis eruditus, falli potest, et in doctissimis remanet saepe aliquis dubitandi locus an recte concluderint.

Si tamen conclusio ex fide deducitur per evidentem consecutionem, ad fidem pertinere dicenda est mediate saltem et indirecte, et theologus qui vim argumenti comprehendit, ei ut ad fidem spectanti assentiri debet.

Ratio non efficit fidem; nam ejusmodi conclusio non ideo ad fidem pertinet quia legitima consequentia ex premissis deducitur, sed quia hac disserendi ratione apparet EAM IN PRAEMISSA REVELATA ESSE CONTENTAM.

Ratio videt "consequentiam" et tunc fides amplectitur "consequens" tamquam contentum in fontibus revelationis. Igitur ratio medium tantum est et instrumentum quo mihi certum efficitur conclusionem in dogmate directe revelato contineri, quod ubi mihi compertum est, jam ei propter Dei revelantis auctoritatem firma fide adhaereo.

Quemadmodum si jurisconsultus legem aliquam e tenebris erueret eique obtemperandum esse ostenderet, ratio obediendi non esset jurisconsultus, qui legem detexit, sed auctoritas legislatoris.

Theologus ita conclusionem in revelatis per suam illationem ipsi evidentem conspiciens, eam rejicere non posset quin contra suam ageret conscientiam, veritatem divinam, saltemve quam talem esse credit repellendo; sed non ideo pronuntiandum eam de fide esse etiam pro illo ipso theologo.

Forma enim ceret essentiali ad propositionem ut sit de fide, nempe sanctione auctoritatis Ecclesiae. Illam itaque rejiciendo peccaret certe, contra conscientiam agendo, sed notam haereas non incurreret. Eodem modo non teneretur obedire legi quam jurisconsultus detegeret, si essentiali careret promulgatione.

#### CAP. 3. PRAESTANTIA THEOLOGIAE.

Theologia est altissima scientia, sola consideratione ejus objecti: DEUS ET RES AD DEUM PERTINENTES.

Intendit perducere homines et omnes creaturas ad Deum, ad suum ultimum finem, ad ordinem, ad perfectionem, pacem, felicitatem, prout singularum naturae convenit.

Homines et res creatas, quatenus in systemate creationis humano generi subjectae consociantur, erigit usque ad finem supernaturalem, reponens nos in Deo, subordinando notiones et media consentanea ad Deum possidendum, intuitive videndum, aeternaliter laudandum.

Non solum est scientia, sed et SAPIENTIA: i.e., scientia sublimate ad gradum altissimum et perfectissimum.

Sapientia versatur circa *primas causas et principia* et ea contemplantur. Est sermo sapientiae qui datur per spiritum (1C 12). Est cognitio perfecta omnium scientiarum. Est scientia rerum divinarum atque humanarum, et causarum quibus hae res continentur.

#### 075 Theologia Dogmatica Antiqua non ex manualibus. 1. Prolegomena.

SAPIENTIA EST RERUM ALTIORUM PERFECTISSIMA COGNITIO.

- *Rerum* divinarum et humanarum, supernaturalium et naturalium imo omnium scibilibum eminenter et virtualiter, hoc ipso quo tractat de Deo, omnium rerum suprema causa efficiente et finali.

- *Altiorum*, non obviarum rerum, communium et trivialium, sed reconditarum, eminentium et a sensibus remotiorum.

- *Perfectissima*, certissima et firmissima, - *Cognitio*, eaque propter se appetibilis, ad quam omnes aliae cognitiones ordinantur, et ipsa ad nullam aliam superiorem. Cognitio rerum, per omnes earum causas (si quas habent), easque altissimas et supremas, realiter influentes esse in res tanquam in effectus; vel causas late dictas, quae sunt causae cognoscendi res a priori suntque rationes attributorum quae de subjecto scibilibi demonstrantur.

Ejusmodi sapientia est theologia, quia est cognitio perfectissima, fundata in revelatione divina.

Theologus in illis primariis veritatabus cognoscendis meditandisque, eo ipso res caeteras, scientias quaslibet quasi in suo fonte et modo eminentiori speculatur.

Caeteras superat scientias ratione objecti et finis, sed etiam RATIONE CERTITUDINIS:

(a) Certitudo theologiae ut exclusiva dubii, eadem est et aequalis ac in caeteris scientiis (certitudo motivi).

(b) In parte naturali theologiae eadem certitudo datur. In parte supernaturali ejus certitudo longe perfectior caeterarum disciplinarum existit, iisdem rationibus quibus certitudo supernaturalis naturalem vincit.

Theologia adaequate sumpta dicenda est non *certior*, sed perfectiori modo quam caeterae scientiae *certa*.

Theologia imperat omnibus aliis scientiis, quorum fines ad finem theologiae ordinantur, et utitur iis quae in aliis scientiis tractantur.

Finis totius philosophiae est intra finem theologiae, et ordinatus ad ipsum: theologia cum philosophia perpetuo intermiscetur, et ea utitur uti praenuntia, lucifera, interprete, pedissequa, uno verbo uti ancilla.

Exinde dignitas theologiae naturalis, rationalis seu philosophica: est praeambula theologiae, magis quam pars proprie dicta theologiae.

Theologia perducit rationem a statu naturali ad supernaturalem; et a philosophia ita novis adjectis viribus, principijsque altioribus, seu divino revelationis lumine illustrata, majora sui famulatus munera requirit.

Theologia non solum ad suum finem servientes scientias naturales adducit, sed et operantibus ipsis adavigilat, ne quid sanae doctrinae repugnans inde prodeat quod censura notandum vel judicaria sua sententia habeat reprobandum.

Non pertinet ad theologiam probare principia aliarum scientiarum, sed solum judicarea de iis. Quidquid enim in aliis scientiis invenitur veritati hujus scientiae repugnans, totum condemnatur ut falsum.

THEOLOGIA UNA EST: quum omnes ejus partes, sive ex ratione naturali, sive ex supernaturali revelatione habeant originem, in unum aperte coalescunt, unamque constituunt scientiam, sibi in cunctis suis elementis consentaneam.

#### CAP. 4. NECESSITAS ET UTILITAS. METHODUS.

Non loquimur heic de necessitate doctrinae catholicae quatenus complectitur fidem necessariam ad salutem, sed de scientia Religionis.

Theologia in genere et prout est scientia, est necessaria Ecclesiae seu societati catholicae. Nam theologia est notitia evoluta institutionum et legum societatis catholicae. Requiritur ad fidem praedicandam (R 10,14), ad fidem fovendam et

conservandam (E 4,11), ad fidem defendendam, et ab haeticorum insidiis impugnationibusque vindicandam (T 1,9).

Non est necessaria singulis fidelibus (1C12,29). Aliud est scire tantummodo quid homo credere debeat, propter adipiscendam vitam beatam aeternam; aliud scire quemadmodum hoc ipsum et piis opituletur, et contra impios defendatur.

Valde utilis est scientia theologica singulis fidelibus, sed habita eo praecise gradu qui proportionetur indoli, culturae ingenii hominis, simulque ejusdem idoneis dispositionibus ex parte voluntatis, nempe desiderio divinas cognoscendi veritates, eas humili rationis subditione suscipiendi, sese illarum meditatione ad majorem Dei dilectionem inflammandi, denique easdem prudenti conflictu, data occasione, vindicandi.

Excedens mensuram gradus scientiae theologicae, aureae simplicitati fidei noceret, aliisque sub respectibus fieret periculosior.

In scientia Religionis necessaria est methodus positiva expositionis et methodus discursiva demonstrationis: tum in expositione principiorum, tum in conclusionum deductione, habendus est ordo, regulae sunt servandae.

Methodus discursiva seu demonstrationis seu scholastica non est stricte necessaria; ducit originem ex industria honesta humana et habet suos legitimos usus, sua commoda, et sublato abusu, est perutilis.

Dialectica, seu ratiocinatio non utilis tantum, sed etiam necessaria est et ex intellectus humani natura derivata. Adhibita certe fuit semper tum ab antiquis, tum a recentioribus, in doctrina ecclesiastica sicut in profana philosophia; semper homines eruerunt consecraria ex principiis, et quidem juxta quasdam naturales regulas.

Argumentationes strictae vel austeriores vim praecise roburque ad convictionem scriptis conferunt, iisque maxime adversarii urgentur.

Porro id intendunt scholastici, formas dialecticas usurpando, neglectaque methodo positiva, suas nimirum investigationes lucidiores, probationes doctrinae firmiores, defensiones denique validiores efficere, quorum scripta minus certe menti placentia, efficaciora in debellandis sanae doctrinae hostibus suppeditabant argumenta, vel etiam in evolvendis philosophice dogmatibus magis valebant.

Dialectica ejusque ad scholasticam methodum progressio manifestas habent utilitates.

Quum doctrina theologica vastissime, tum per sacras litteras, tum per concilia et decreta pontificum, tum per sanctorum Patrum codices, aliorumque auctorum ecclesiasticorum libros sparsa sit, paucique tanto ingenio vel otio abundant, ut eam inde valeant suo marte colligere; plurimum sane commodi ac utilitatis praestitit scholastica, quae quiddam praeclari in istis monumentis continetur, in unum velut corpus collegit, collectumque uno quasi intuitu cuivis spectandum exhibet.

Theologia scholastica res quascumque theologicas in suos titulos ac quaestiones distribuit, ut cuivis in promptu sit in ea investigare ac invenire quiddquid in quovis arargomento theologico, Scriptura, Traditio, Patres, aliave auctoritas, vel etiam ratio suppeditat.

Totam doctrinam theologicam congruo ac facili ordine disponit, atque ita expeditam ad docendum discendumque viam ostendit.

Sepimentum et vallum est dialectica, ut ne ab sophistis veritas proculcetur: sapientiam velut septo quodam, sic graeca philosophia, muniamus, quo sophistis inaccessam servemus.

Methodus scholastica reddit imbecillum impressionem sophisticam et dolosas insidias adversus veritatem.

Dialectica et scholastica methodo munienda est theologia, quo undecumque ab dogmatibus insidiae propulsentur.

Artis dialecticae facultas murus est propugnandis dogmataibus apprime opportunus,

#### 075 Theologia Dogmatica Antiqua non ex manualibus. 1. Prolegomena.

non sinens ea in diversam partem facile abripi, aut in totum intercepti ab his qui ea vellent evertere.

Dialectica versatur in logicis demonstrationibus, aut oppositionibus et concertationibus. Dialectica uti debet theologia ut haeticorum callida et aculeata sophismata eodem artificio retundantur.

Disciplina disputationis ad omnia genera quaestionum, quae in litteris sanctis sunt, penetranda et dissolvenda plurimum valet: tantum ibi cavenda est libido rixandi, et puerilis quaedam ostentatio decipiendi adversarium.

Nullo unquam tam efficaci argumento propugnata fuit veritas ac defensa quam illo ex dialecticis artibus confecto, quod adeo verum est, ut in id genus, quasi natura duce, homines, quavis aetate, ad debellandos adversarios propenderint.

Acuta illa exercitatione, ratio aptior efficitur ad retundendas subtilitates haereticas.

Experientia addenda est auctoritati testimoniorum. Ars dialectica in rebus obscuris ingreditur, ut videatur esse verum, quod verum est. Scholastica est methodus catholicae veritatis contra adversarios.

Methodus expositionis eruit dogmata ex traditione et ea enucleat.

Methodus demonstrationi ratione evolvit doctrinam et eam probat et defendit.

Prioribus Ecclesiae saeculis, quum doctrina catholica potius exponenda atque ex auctoritate edocenda esset, quam argumentatione discutienda, methodus positiva seu expositionis apud Patres praevaluit, nonnisique secundario ac moderate succurrebat dialectica.

Sequentibus autem temporibus, quum eadem prorsus stabiliita doctrina potius evolvenda explicandaque occurreret, discurus debuit invalescere, ex quo nati scholastici ab undecimo saeculo. Methodus scholastica brevitati favet et claritati.

Utriusque conjunctae methodi usus est adhibendus, nempe methodi positivae ad exponenda primum dogmata, et discursivae, ad eorum deinceps evolvenda consecraria.

#### ELEMENTA SCIENTIAE THEOLOGICAE:

a) QUID DEUS REVELAVERIT? DOCTRINA INNOTESCIT EX TRADITIONE:

Distributione facta tractatum atque divisionibus singulis absolutis, ubi scilicet quaestionem aggredimur, jam primum distincte PROPOSITIONES certae atque ad doctrinam pertinentes stabiliantur, NOTA THEOLOGICA insignitae, puta *de fide, proxima fidei, certa*, si jam ad auctoritatem perveniat supernaturalem.

Eaedem propositiones ex sola credendorum regula, id est, ex auctoritate seu ex variis traditionis fontibus, scilicet ex symbolis, Patribus, conciliis, SS. Pontificum decretis, theologis, methodo positiva evincantur.

b) QUID DE ILLA DOCTRINA EXCOGITAVERINT HOMINES?

Doctrina catholica sic suis fundamentis inconcussae stabilita, jam videndum erit quid de illa disseruerint homines, quas tenuerint opiniones siv eextra limites ab ipsa doctrina vel auctoritate praescriptos, sive intra eosdem terminos.

Hoc est historiam evolvere ERRORUM et OPINIONUM circa propositiones prius expositas; atque proprias investigationes de illis praeparare.

c) QUID DE ILLA DOCTRINA DISSERAT IPSE AUCTOR SEU THEOLOGUS?

Denique theologus privatus suas ipsas opiniones, sua argumenta adhibebit, quibus methodo *discursiva* seu *scholastica*, propositiones doctrinales ex Scripturis sacris propria interpretatione, rationibusque theologicis, evidentia intrinseca intercedente, demonstrare pro suo ingenio conabitur, item ex objectionibus easdem suis responsis vindicare, atque

excogitatis ab ipso vel solum praeteritis approbatis explicare opinionibus.

En ejus opiniones sua ratione habitae, simulque scientifica theologiae tractatio.

In his tribus partibus tota completa stat scientia Religionis, scientia theologica perfecta et altissima, vera sapientia:

(a) In prima parte, doctrinali, continentur fundamenta scientiae theologiae.

(b) In secunda parte sunt varia experimenta rationis humanae, quibus inest aliquid characteris partis doctrinalis, quum ex testimonio, seu auctoritate historiae habeantur, aliquid etiam partis rationalis, quum exhibeant solum humanas opiniones, atque ad investigationes proprias conducant theologum.

(c) In tertia parte, rationali, reperitur forma scientiae seu scientia formalis.

Regula fidei exulat a parte rationali, non vero omnis certitudo philosophica, ad quam quum pervenit ratio christiana theologi, argumentum ejus ita certum, et aliqua sufficienti auctoritate (v.g. consensu moraliter unanimi caeterorum theologorum) fultum, jam ad primam partem vere pertinet.

In tertia parte, rationali, requiritur a ratione, ut congruis argumentationibus fidem confirmet, evolvatque et illustret.

Hac ratione componendi et tractandi res theologicas, magis potest methodice ordinari et complete tradi doctrina catholica. Ita secernitur ab opinionibus humanis et stabilitur germanis infallibilibusque argumentis. Ita ratio ipsa, doctrina primum cognita et in tuto posita, validior efficitur ac vegetior ad eandem evolvendam, atque seipsam uberiori fructu extra periculum errandi liberius exercitandam.

#### LINGUA LATINA.

Theologiam etiam elementarem vulgari lingua docere, derelicto linguae latinae usu, erroneum est et valde periculosum rei catholicae: est error affinis studiis ac votis haericis.

Idioma latinum versione authentica librorum sacrorum jam ipsum sacrum atque consecratum, liturgiae expressio, catholicae doctrinae, seu Patrum, Conciliorum, SS. Pontificum, necnon et theologorum atque juris canonici peritorum, omnium aetatum et regionum, commune vehiculum, his, inquam, titulis, unitatis vinculum in Ecclesia existit, quod (et scholasticam methodum!) disrumpere, usu linguae vulgaris in rebus sacris et theologicis adhibito, ultimi haeretici unanimi conatu non dubitaverunt.

Ex usu Patrum, Conciliorum, SS. Pontificum atque theologorum accuratas doctrinae in lingua latina habemus formulas, vocesque, ut ita dicam, sacramentales in multis essentialibus exprimendis.

Quae voces ac formulae in tot vulgaria idiomata absque alteratione verti moralitaer est impossibile.

Usus latini sermonis formis favet dialectis tam peroptandis, si modus servetur; idem etiam brevitate conspicuus non semel impedit ne res facili copia verborum potius obruantur in discussione, quam elucidentur.

Lectionibus latinis explicationes adhibeant magistril!

#### CAP. 5. THEOLOGIAE STUDIUM, HISTORIA, STUDIA.

##### 1. Historia studii theologici.

*Epocha prima:* ab exordio generis humani usque ad Christum.

Theologia revelata cum ipso genere humano orditur: quae primi parentes, Deo ipso institutore, didicerunt, et quae postmodum Deus ad

patriarchas locutus est, haec in eorum qui Deum timebant FAMILIIS, sedulo conservabantur.

Docendi munus vel cura juniores instruendi in iis quae ad Deum ejusque cultum pertinebant, illis tum incubuit, qui ad ilud videbantur ab ipsa natura destinati. Hic mos antiquus numquam immutatus est.

Quamvis catechesis legis privatae in hac etiam temporis periodo ad patres-familias pertineret, publica tamen debebatur sacerdotibus et prophetis (filii prohetarum!). Traditio nobis narrat Samuelem scholas instituisse ut pene collapsam religionem restitueret.

Praeter hoc extraordinarium docendi munus, aliud erat ordinarium, sacerdotibus in lege demandatum.

Post captivitatem babilonicam, per omnes fere civitates synagogae erectae sunt, in quibus per omne sabbathum libri legis et prophetarum legebantur, addita interpretatione et exhortatione.

Praeter synagogas, in quibus populus erudiebatur, scholae institutae erant etiam in exteris locis, in quibus magistri cum discipulis conveniebant (A 19,8s).

Scholae domus vocabantur; subinde etiam domus subtilitatis et acuminis, quia quaestiones legis ibi subtilius tractabantur; propterea Judae eum locum discutiendis rebus aptiorem praestantioremque habebant ipso templo.

Post exilium sectae ortae sunt: quaelibet suas scholas habuit, v.g. *Sadducae*i contra *Pharisaeos*.

*Sadducae*i a *Sadoc*, discipulo Antigoni veniunt: is, quum saepius a magistro audivisset, *non esse serviendum Deo, quasi ex compacto accipiendi mercedem, sed puro omnino et gratuito amore*, ac si nihil esset post hanc vitam aut sperandum aut pertimescendum, male magistri sententiam interpretatus, vitam ipsam aeternam et animae immortalitatem rejecit: ita etiam in bono excedere periculosum est!

Judaei post captivitatem in duas partes scissi sunt, quarum una meditationi Scripturae se dabat (Textuales, Scripturarii, Esseni, Qaraitae); altera tota in eo erat ut Scripturae aliquid assueret, atque ideo traditiones non scriptas, tamquam necessarias et ipsa Scriptura perfectiores regulas observabat (Rabbinistae, Thalmudistae, Pharisaei).

Judaei ergo ante Christum suos habuerant theologos, seu viros qui erudita legis et Religionis revelatae cognitione pollebant: grammateij, nomodidaskaloi, conquistores (darash) cf 1C 1,20. Qara, shana, lomed, darash sunt quattuor verba actionum de biblilis , mishna, talmud, midrash.

*Epocha secunda:* a Christo usque ad saeculum undecimum.

Christus Dominus apostolos erudivit in mysteriis regni Dei sicut Magister (J 13,13) unicus seu Rabbi: et vere quidem, quia non decet Relligionis aliud scire quam Jesum crucifixum, aut aliam quam Jesu Christi proponere doctrinam, aut sibi et non Christo formare discipulos.

D.N.J.C. magisterium publicum in Ecclesia instituit: pastores, magistros, doctores in aedificationem corporis Christi (E 4), ut perduret officium docendi in Ecclesia.

Apostoli erudierunt discipulos exemplis suis et doctrinis, eos hortantes ut quae audierant ab ipsis per multos testes, haec commendarent fidelibus hominibus, qui idonei essent et alios docere.

Episcopi Apostolorum exemplum secuti sunt et non tantum plebis curam gerebant, sed et juniores clericos in domo sua nutriebant et singulari cura instruebant tamquam filios: S. Alexander docuit S. Athanasium; S. Meletius instruxit S. Joh. Chrysostomum; Theophilus erudivit S. Cyrillum Alexandrinum; S. Augustinus et S. Fulgentius habuerunt scholas episcoporum.

Item scholis catechumenorum praeerant viri egregie exculti tum divinis tum humanis scientiis.

Necesse fuit, quum saepius in viros ex gentilibus inciderent ingenio et doctrina expolitos, ut eruditam Religionis doctrinam exponerent, et humanarum etiam scientiarum subsidio uterentur.

S. Marcus instituit scholam alexandrinam, seminarium sanctorum et martyrum. Ibi invaluit praecipue diligens studium Scripturae et Traditionis.

Patres et Doctores Ecclesiae ascenderunt ad prima principia in rerum tractatione, et deinde recto ordine descenderunt et deduxerunt conclusiones, et viam recluderunt eflugia quaerentibus.

Videas SS. Augustinum, Basilium, Athanasium, Gregorium Nyssenum, Gregorium Nazianzenum.

Monasteria fuerunt per fugium sacris scientiis: junxerunt exercitia pietatis cum cultura sacrarum litterarum: Cassianus Massiliae; Vincentius Lerinensis; Beda in Anglia; Alcuinus in Gallia.

Floruerunt scholae monasticae et cathedrales; Winifridius seu Bonifacius in Fulda: omnes conabantur formare idoneos ministros Ecclesiae, scientia non minus quam sanctitate excelsi.

Rabanus Maurus ad institutionem clericorum cursum scientiarum (seu artium liberalium) divisit in TRIVIUM (Grammaticam, Rhetoricam et Dialecticam) et QUADRIVIUM (Musicam, Arithmetica, Geometriam et Astronomiam), quo absoluto, alumnus vocabatur MAGISTER (septem) ARTIUM.

*Epocha tertia: a saeculo XI usque ad XV.*

Saeculo octavo S. Joh. Damascenus De Fide Orthodoxa scripsit, opus quod est systema totius doctrinae christianae.

Lanfrancus et Anselmus, Hugo a S. Victorino, Hildebertus Turonensis, Robertus Pullus et Otho Frisingensis veritates Religionis collegerunt in unum corpus et dialectice ad leges exactas scholae aristotelicae exposuerunt, quod novam methodum constituit.

Petrus Lombardus, episcopus Parisiensis digessit totam doctrinam christianam in quattuor libros sententiarum.

Saeculo decimo tertio inveniuntur in universitatibus Alex. Halesius ofm (doctor *irrefragabilis*), S. Albertus (*magnus*), S. Thomas Aquinas (*communis, angelicus*), J. Duns Scotus (*subtilis*), S. Bonaventura (*seraphicus*). Postea dantur diversae scholae: Scotistae, Thomistae, Nominalistae (Occam), Recentiores.

*Epocha quarta: a saeculo XV usque ad nos.*

Semper adfuerunt viri maturioris ingenii et cultores theologiae positivae qui damnarunt aberrationes sophistarum (v.g. Abaelardi et aliorum).

Saeculum XV doctorum et litteratorum nominum feracissimum fuit, nam capta anno 1453 Constantinopoli, litterae ex nova Roma in antiquam remigrarunt: Scripturae sacrae et Patrum studium impensius colere coeperunt, ac theologiam a pseudo-scholasticae sordibus abstergere; nam philosophia saecularis sacram theologiam sua curiositate inutili foedare coeperat.

Protestantes in catholicorum scholis enutriti, quidquid doctrinae et eruditione valebant, hoc non a novis sectis acceperunt, sed in eas intulerunt.

Concilium Tridentinum, sicut in reformandis aliis abusibus, omnem operam posuit, sic etiam catholicos theologos ad solidiorem sacratioremque theologiae tractationem non parum excitavit.

Melchior Canus ep. Canariensis, S. Bellarminus, Petavius, Natalis Alexander, Turnelius, Stephanus Wiest, etc. sunt aliqui ex legione.

## 2. Studia theologica.

Objecta studii theologiae sunt duplicia:

(a) Quae directe et essentialiter pertinent ad scientiam theologiam sunt ejus objectum primarium: sunt studia, quae si omitterentur, jam viri theologi doctrina de Deo seu de Religione manca staret et incompleta.

(b) et quae indirecte ad eam pertinent uti subsidiaria studia: philologia, litterae humaniores,

historia profana, scientiae naturales ut physica, historia naturalis et etiam mathesis.

Intentum theologiae est: (1) absolutis *principiis* naturalibus, (2) probatisque *factis* religionis christianae veritatem adstruentibus, atque tandem his praeambulis (3) *Ecclesiam* adeptus, jam id solum intendit theologus, nempe (4) *doctrinam* catholicam *cultumque* (5) ex *verbo divino* ab Ecclesia interpretato requirere, quod est (6) *traditionem* seu scripta Patrum et Theologorum, Conciliorum decreta Summorumque Pontificum, Ecclesiarum consuetudines, etc., investigare; ex illis educere conclusiones; alia tandem disserendo producere, quibus scientia theologiae efflorescit.

Hinc primo ac summo loco scrutanda est *Scriptura sacra*, cujus notitia ex quotidiana lectione in linguis originalibus et antiquis versionibus familiaris sit oportet (*videas Resumen nostrum Coursus completi Scripturae Sacrae a J.P.Migne viginti octo voluminibus editi*).

### STUDIUM PATRUM ET DOCTORUM.

Patres appellamus antiquos doctores ob venerandam canitiem antiquitatis conjunctam cum scientia, pietate et sanctitate, quia doctrina sana genuerunt filios Ecclesiae, praesertim quum sint episcopi cum munere docendi et regendi.

Patrum conspiratio etiam dum dispersi nec congregati in Conciliis sunt, tamen invictum argumenti robur praebet theologo, quia partim tales extiterunt quibus concreditum est verbi divini depositum, partim sunt idonei testes doctrinae, suo tempore in Ecclesia vigentis.

In Patribus quaerendus est Scripturae sensus, solidae probationes dogmatum, securae disciplinae ac morum regulae, ratio et methodus convrtendi ad fidem infideles ac haereticos impugnandi; ars regendi animas, interiores viae, vera pietas, idque non in hunc finem ut de iis disserere possimus, sed in praxim redigantur.

A Patribus prae primis discamus prudentiam circumspectionemque antiquorum, quatenus praesenti rerum statui omnia accommodemus; neve odio exponamus sanctas eorum regulas et effata, nimirum ea urgendo extendendoque, aut ea importune applicando, evitando nimium antiquitatis revocandae studium annumque.

Illis nos impensius addicamus quae propius ad nos reformandos spectant, magno orationis studio in ordinem redigendo statum interiorem ac mores.

Communicemus aliis veritates quarum cognitionem Deus nobis concesserit, sine contentione, sine verborum asperitatis ac exprobatone.

Primi nos simus qui in praxim id revocemus quod melius esse atque ad nos pertinere visum fuerit. Idem ad preces recurramus, patienter expectantes donec Deo placuerit consummare opus.

In Patribus quaeramus scientiam dogmatum fidei, explicationem Sacrae scripturae (i.e. theologiam positivam).

*Theologia Patrum* est tractare dogmata fidei respectu fidelium.

*Controversia* est tractare dogmata fidei respectu infidelium, Judaeorum et haereticorum: S. Irenaeus, Tertullianus (*De praescriptione haereticorum*), Vincentius Lerinensis (*Commonitorium*).

Oportet cognoscere praecipuas difficultates quae inveniuntur in scriptis Patrum et eorum expressiones particulares in earum contextu.

Deinde necesse est legere Patres vel chronologice (quod est longius, sed completius), vel per materias systematicae (quod est forsitan utilius propter temporis penuriam).

Si volumus scire Dogmaticam seorsim a Controversia,

(i) prius legamus Patres qui nobis dant IDEAM GENERALEM RELIGIONIS: S. Augustinum (*De catechizandis rudibus, De Doctrina Christiana, De vera religione, De moribus Ecclesiae, Enchiridion*);

Eusebium (*Praeparatio evangelica, Demonstratio evangelica*); S. Fulgentium (*De fide ad Petrum*).

(ii) DE TRINITATE legamus S. Athanasium *de Homousio*, S. Gregorium Nazianzenum *de theologia (33-37)*, S. Hilarium *De Trinitate*, S. Basilium *Contra Eunomium*, S. Augustinum *Contra Maximum Arianum, De Trinitate*, S. Fulgentium *De Trinitate*.

(iv) DE INCARNATIONE, S. Athanasium *Ad Epictetum*, S. Augustinum *Ad Volusianum, De Perseverantia*, S. Cyrillum Alexandrinum *Litterae in Concilio Ephesino lectae, et circa compositionem cum Orientalibus*, S. Leonem *Magnum Ad Flavianum*, Concilium Chalcedonense, *Anathematismata quinti Concilii, Definitionem sexti Concilii*, S. Fulgentium, S. Bernardum *Ad Innocentium Secundum contra Petrum Abaelardum*.

(v) DE SPIRITU SANCTO, videas S. Basilium et Didymum (inter opera S. Hieronymi).

(vi) DE GRATIA: Concilium Milevitanum, S. Augustinum *De spiritu et littera, De gratia, De libero arbitrio, De correptione et gratia, De praedestinatione Sanctorum, De dono perseverantiae*, S. Prosperum *Responsiones ad Vincentium*, Concilium Arausicanum secundum, Concilium Tridentinum in sexta sessione, S. Coelestinum papam ad Gallos, S. Prosperum et S. Fulgentium.

(vii) DE SACRAMENTIS: S. Augustinum *De Baptismo contra Donatistas, Contra Parmenium*; S. Justinum *De baptismo et liturgia*; S. Cyrillum Hierosolymitanum *Catecheses de Eucharistia*, S. Ambrosium *De initiandis, De sacramentis*, S. Joh. Chrysostomum *Super Matthaem hom 83*; S. Gaudentium *Catecheses*.